Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2177
Quelle:
Copyright:



lamo non una manu exaratus, rubricisque distinctus sequentia complectitur: I. Praemisso Schemate tabellari *Incipit tractatus venerabilis Doctoris gerson olym cancellarii parisiensis de oratione et suo valore* &c. Initium: *Oportet semper orare et non deficere* &c. Jam indicatus alibi. In Edit. *Opp.* dicta *Dupinii* extat T. III. *col.* 247. In fine Nostri adjungitur: *Finis operis orationis utinam et miserie* &c.

II. *fol.* 21. p. 2. *Incipit tractatus de theologia mistica editus ab eximio sacre theologie professore M. iohanne gerson parisiense cancellario.* Initium: *Penitemini et credite ewangelio. Marci c. 1°.* Non nisi *Pars* I. seu *Speculativa* hujus Operis, quod extat Edit. *cit.* T. III. *col.* 362.

III. *fol.* 59. p. 2. absque inscriptione: Ejusdem Tractatus *de Perfectione Cordis.* Incipit: *Theologus loquitur ad animam christianam. Diliges dominum deum tuum* &c. Habetur Edit. *cit.* T. III. *col.* 436. Ad calcem Librarius noster adjecit: *Explicit tractatus preclari uiri Magistri Johannis gerson cancell. paris. de perfectione christianorum notanter simplicium siue secularium multa iocunda habens et salubria in medulla exigens masticationem sui.*

IV. *fol.* 74. p. 2. *Incipit alius tractatus eiusdem Venerabilis doctoris contra heresim de communione laycali sub vtraque specie.* A nobis jam *Codd.* pluribus indicatus, prostansque Edit. *cit.* T. I. *col.* 457. hoc ingressu: *Oblaturus iuxta seniorum huius sacri concilij constan. monicionem generalem nonnulla* &c.

V. *fol.* 85. *Tractatus* ἀνεπιγραφος, sed, ut e calce praeoccupo: *contra communicantes laicos sub vtraque specie sacramentali. Editus ab Egregio viro Magistro Johanne hoffman de Swydnicz sacre theologie professore pronunciatus in studio lipczensi Anno domini M° CCCC°. XXI°.* Incipit: *Debemus invicem diligere* &c. Vide, si lubet, quae de Opere et Autore dicta sunt ad *Cod.* CCCCXV.

VI. *fol.* 230. Controversia inter Academiam *Pragensem* et *Viennensem* mota anno 1413. occasione quorundam *Wiclefi* Asseclarum, constans sequentibus Documentis: 1) *Copia littere magistri Johannis Sybart ad episcopum Sagrabiensem.* Fuit Vir hic Theologiae et Artium Professor *Viennae*, gessitque anno praecedente Philosophiae Decanatum teste *Joh. Jos. Lochero* in *Speculo Acad. Vien. p.* 141. ab ipsa vero Academia, ut ex Docum. *ult.* praeoccupo, ita commendatur: *Quem ex puero nouimus tocius vite ac morum honestate ita fulcitum et in nostra uniuersitate tam laudabiliter conuersatum, Primum quidem discendo, postea regendo legendo et docendo, ut in maiori nostre vniuersitatis collegio stipendium et in sacra Theologia magisterium dinoscatur dignissime meruisse. Qui eciam quanta erga Deum deuocione ferbuerit, ostendit in opere, quia infra mensem*

*renuncians*